

Theologiae Moralis Super Decalogum Seu Decem Dei Praecepta Pars ...

In II. III. IV. Præceptum De Juramentis, Votis, Observatione Festorum, & Jejuniorum, ac obligatione Pietatis & Observantiæ erga Majores: Charitate & Misericordia erga proximum. Pars III.

Sporer, Patricius

Salisburgi, 1713

Tractatus III. In Secundum, Tertium, Et Quartum Præceptum Decalogi, De observatione, & violatione Juramentorum, Votorum, ac Festorum; Pietate, & Observantia Majorum. Textus II. Præcepti. Non assumes ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60022](#)

. 552
es, &
557
. 581
llate:
596
es, &
604
ordia
611
rnum
ximo
614

533 X I 533

TRACTATUS III.

In
SECUNDUM, TERTIUM,
ET QUARTUM PRÆCE-
PTUM

DECALOGI,

De observatione, & violatione Juramentorum, Votorum, ac Festorum; Pietate, & Observantia Majorum.

TEXTUS II. PRÆCEPTI.

Non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum. Exodi 20.

EXPLICATIO PRÆCEPTI.

I.

Ecundum etiam Præceptum in terminis negativum, virtute & implicitè affirmativum est; in illo enim negativo: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*, virtualiter continetur hoc affirmativum: *assumes Nomen Domini Dei tui in reverentia, & veritate.* Dupliciter ergo generaliter contingit assumi, vel proferri Nomen Dei; licet & illicitè seu in vanum.

THEOL. MORAL. PARS III.

A

AS-



ASSUMPTIO LICITA.

II. **N**everentia & veritate, adeoque licite & sancte assumitur Nomen Dei generaliter duobus modis: in contestationem affectus nostri: & in testimonium veritatis. Assumptio Divini Nominis in contestationem affectus nostri, erga Deum videlicet, contingit quadrupliciter, juxta quadruplicem virtutem erga Deum; nimirum 1. in contestationem Fidei, confitendo ipsum tanquam Deum, & Dominum nostrum coram hominibus; & spectat ad virtutem Fidei. 2. In contestationem Spei, ac fiduciæ nostræ erga Deum, invocando, & petendo beneficia, & favores à Deo; & sic spectat ad virtutem Spei, & Orationis. 3. In contestationem amoris & dilectionis nostræ erga Deum, qualis fuit assumptio S. P. N. Francisci: *Deus misericordia & omnia*; & sic spectat ad virtutem charitatis. 4. In contestationem nostræ erga Deum devotionis, cultus, reverentiæ, honoris, gratitudinis, Deum honorando, laudando, prædicando, gratias agendo; & sic spectat ad virtutem Religionis, & Latriæ. Assumptio Divini Nominis in testimonium veritatis contingit etiam quadrupliciter. 1. In assertendo tantum; cum invocatur Nomen Dei præcisè in testimonium veritatis, seu verum esse, quod dicimus; & dicitur *juramentum assertorium*. 2. Promittendo: cum invocatur Nomen Dei ad confirmandam promissionem factam homini; & dicitur *juramentum promissorium*. 3. Vovendo: cum invocatur Nomen Dei, ipsique aliquid promittendo, aut ad confirmandam promissionem fa-

Etiam

Etiam ipsi Deo, & dicitur *verbum*. 4. Adjurando; cum assumitur nomen Dei ad ipsum Deum, vel creaturam rationalem aliquam movendam ad aliquid agendum, vel non agendum; & dicitur *adjuratio*. His continentur omnes fines boni, quibus Nomen Domini assumere, proferre, & nominare licitum, bonum, sanctum, & meritorium est, vel saltem esse potest juxta dicenda.

ASSUMPTIO ILLICITA.

III. **I**N vanum, adeoque illicite nomen Dei assumete dicitur: 1. Qui aut nullo, aut 2. inutili, aut 3. indebito, aut 4. perverso fine Sacra-sancta Nomina Dei, Christi JESU, vel Sanctorum profert, & nominat. 1. *Nullo fine*, utpote qui ex mera loquacitate, vel prava consuetudine absque omni advertentia, vel reflexione Religiosa, omniq; affectu reverentiæ Nomina Dei, JESU &c. proferunt. 2. *Inutili fine*, quando scilicet nulla prorsus est ratio necessitatis, utilitatis, vel congruitatis proferendi sacra Nomina extra, vel intra juramenta, v. g. qui ad singula ferè verba proferunt per *Deum: ben Ott / weiß Ott / straff mich Ott*. 3. *Indebito fine*, quando absque justa causa necessitatis proferuntur Nomina Dei & Christi, utpotè in juramentis ad res fuitiles, promissiones leviculas confirmandas. 4. *Perverso fine*, idque dupliciter; ut suprà. 1. ad contestationem pravi in Deum affectus: utpotè vel perfidiæ contra fidem vel desperationis contra Spem, vel odii, & abominationis contra Charitatem Dei, vel cujusvis irreverentiæ, contemptus, ac despectus Dei, vel Divini honoris

Tractatus III.

contra Religionem , & Cultum Dei. Omnis talis
assumptio Divini Nominis ex pravo affectu spectat
ad blasphemiam contra Virtutem Religionis direc-
tè, & respectivè simul annexam habet malitiam
vel hæresis, vel desperationis, vel odii Dei. De qui-
bus patet ex latè dictis Tract. 2. de primo Praecep-
to. 2. Ad confirmationem falsitatis in perjuriis af-
sertoriis, & promissoriis , in votis falsis , vel viola-
tis &c.

R E S O L U T I O.

IV. **S**ubstantia secundi præcepti Decalogi: Non
assumes &c. est ex Virtute Religionis, &
cultus Deo debiti, non nisi rationabiliter & religio-
sè assumere Nomen Domini, maximè in juramen-
tis , & votis. Quod præceptum Divinum natu-
rale , & positivum, quatenus affirmativum, est so-
lùm conditionatum: videlicet si jurandum, & No-
men Dei assumendum sit, id fiat rationabiliter, &
reverenter : & si quid nomine Dei assumpto, jura-
tum, vel promissum est , religiosè præstetur, juxta
illud Jeremiæ. 4. *Jurabis: vivit Dominus in ve-*
ritate, & in judicio, & in iustitia. Absolutè verò,
& quoad exercitium actus Nomen Domini assu-
mere in juramento , vel voto , non solùm non ob-
ligat pro semper , more aliorum præceptorum af-
firmativorum, verùm etiam quà tale nullum om-
nino tempus determinat. Determinatur autem
per alia præcepta, vel Divina, Charitatis, vel Justi-
tiæ , v. g. ad servandam vitam proximi, vel etiam
humana Ecclesiastica , vel civilia, ut patet in præxi.
Quatenus verò negativum est, obligat ad semper,

& pre-

& pro semper, prohibens, ne unquam irrationabili-
liter & irreverenter assumatur Nomen Domini, &
maxime in juramentis. *Res certa apud omnes.* Et
hinc peccata contra secundum Praeceptum Decalogi
communiter ita enumerantur: 1. Assumptio Di-
vini Nomini vana, inutilis, & indebita. 2. Omnis
blasphemia in Deum, Sanctos &c. 3. Ominia per-
juria, vel juramenta illicita. 4. Omnis violatio
cujuscunque voti. Quoad primum sit haec brevis.

REGULA.

V. **Q**uisquis nomen Dei, & Christi JESU &c.
non ad contestationem pii erga Deum affe-
ctus, neque ad debitam confirmationem veritatis,
sed nullo, vano, inutili, vel indebito fine, absque ra-
tione & reverentia assumit, profert, nominat &c.
peccat ad minus venialiter contra Virtutem Reli-
gionis, & Cultus Deo debiti. Similiter vanè assu-
mens Nomina B. Virginis, Sanctorum, rerūmque
sacrarum &c. peccat venialiter contra Virtutem
Dulie, aut Hyperdulie respectivæ; est enim irre-
verens, & irreligiosa tractatio rei sacræ per mo-
dum sacrilegii. *Dico autem ad minus veniale*, si
enim deliberatè continuò fiat, ut generali quodam
proposito ita vanè toties, quoties, assumendi sacra
Nomina ob implicitum contemptum sacratissimo-
rum Nominum, & facile oriundum inde scandala-
lum, etiam mortale fieri posse, dubium non est. De
quo rectè noster March. *Tribunal. tom. 2. tract.*
3. tit. I. q. 4. append. 1. monet eos, qui ad singula
verba, ad risus, jocos, & alia vana consueverunt
professe sanctissima Nomina Dei, Jesu Christi, JE-


A 3

SU,

6 Tract. III. In II. III. & IV. Præcept. Decal. Cap. I.

SU, Mariæ, sive ex levitate, sive ex hypocritica,
& ficta devotione, quod certissimè peccent venia-
liter, & ratione circumstantiarum, periculo pecca-
ti mortalis se exponant: sanctum enim est, dulce
Nomen Jesu sæpissimè nominare, sed religiosè, de-
votè non tantum ore, sed corde, amore & pio affe-
ctu pleno, utsit JESUS *mel in ore, in aure melos,*
in corde Jubilus.

Quoad secundum, blasphemia directè militat
contra Primum Præceptum Decalogi, præcipiens
Deum Virtute Fidei, Spei, Charitatis, & Religionis
in debito honore habendū, cui è diametro repug-
nat omnis blasphemia, ideoque ibi jam explicatum
habes. Restant ergo pro secundo Præcepto expli-
canda juramenta & vota cum peccatis oppositis per
tria capita. 1. De juramentis, & perjuriis. 2. De
votis, & peccatis oppositis, 3. De votorum, &
juramentorum cessatione, irritatione, dispensatione,
commutatione. 4. Addetur de observatione, &
violatione dierum Festorum circa Tertium Præcep-
tum, & ob connexionem materiæ, fortè etiam Jeju-
niorum. Ac tandem (pro majore horum opusculo-
rum æqualitater) Quartum Præceptū etiam in hoc
statim Tractatu explicabunt Caput 5. de obligatio-
ne Pietatis, & observantiæ erga Majores. Et 6. de
obligatione Charitatis & Misericordiæ erga pro-
ximum.



CA